

„ gregem efficiant. *Et concludit.* Omnem quæ cum sa-  
 „ cratissimis vobis est, Deo amabilem & jucundam fra-  
 „ ternitatem, plurimum in Christo Deo, ego humilis &  
 „ pusillus, & hi qui mecum sunt omnes fratres, saluta-  
 „ mus. Incolumis in Domino ora pro me, Sanctissime  
 „ frater „.

Hactenus Epistola Sophronii ad Honorium Papam,  
 & ad Sergium Patriarcham Constantinop. ex qua apparet,  
 quam amplissime idem Sergius fuerit ab omnibus cogni-  
 tus atque probatus in hanc diem Catholicus atque Or-  
 thodoxus. Quanam vero fuerit ad hanc Sophronii Syno-  
 dicam, aut Sergii, aut Honorii responsio, non apparet.  
 Certum tamen est ex utriusque Epistolis, quæ in vi. Sy-  
 nodo recitata sunt, antequam Synodicam Sophronii re-  
 cepissent, tam Sergium ad Honorium scripisse, quam  
 Honorium Sergio respondisse, *neque unam neque duas di-  
 cendas esse Christi operationes.*

Huic porro Synodica Sophronii Epistolæ Photius in  
 Bibliotheca Cod. 231. subjuncta fuisse testatur testimonia  
 Sanctorum Patrum, quos idem enumerat in hæc verba:  
*In hoc volumine continebantur testimonia sanctorum va-  
 riorum Patrum, qui ante quartam Synodum fuerunt, &  
 qui post illam floruerunt, & post nati sunt. Quæ testi-  
 monia duplicem in Christo Deo nostro operationem prædi-  
 carunt, quorum principes & præcipui erant, Leo veter-  
 ris Romæ Pontifex, & Quarta illa œcumenica Synodus:  
 Petrus Sanctissimus & μύρων Myrorum Episcopus: Genna-  
 dius Constantinopolis: & Photica Diadochus: & Epiræ-  
 mius Antiochiæ Præsul, qui etiam contra Acephalos in  
 multis libris strenue certavit: Et Dionysius copiosus qui-  
 dem verbis, copiosior tamen speculatione, Discipulus San-  
 cti Pauli, Christi martyr, & Episcopus Athenienium: &  
 Justinus martyrii sanguine Philosophiam confirmans: &  
 strenuus Athanasius Alexandriæ Præsul; & Gregorius  
 Theologiæ arcanum vas: & decus Ecclesiæ Basilius: &  
 verborum flumen Nyssenus: & fortis athleta Cyrillus:  
 & in Dei sententia libere consistenda infractus Ambrosius  
 Mediolani antistes: & aureus ore & lingua Johannes Cou-  
 stan-*